Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 237
Quelle:
Copyright:

lae dicto *Mota*. Male vero meritus est Mutarius noster de duobus *Codicibus Talmudicis* diversis vetustis, quorum membranis *Postillas* has utrinque convestiri jussit.

CLV.

U. 596—600 Codicum Pentas chartacea Sec. XV. f. ab Autore *Thoma Ebendorfer de Haselbach* legata, ut jam P. I. praefert, *Collegio ducali Wienne apud fratres predicatores* complectitur ejus *Commentaria in Isaiam Prophetam*. Praemittuntur P. seu *Volumini* I. Quaestiones 3. de certitudine novissimae Diei, de Haeresibus ab Ecclesia tolerandis, et de utilitate Persecutionum. Prologus incipit: *In nomine sancte* &c. 1428. *Verba vite eterne habes. Joh. 6. Cap.* Lectura ipsa: *Compleat inceptum Virgo Maria meum.* 1428. *In profesto Dyonisii et sociorum eius. ysaias in Jerusalem nobili prosapia generatus est* &c. Noto, Versum citatum familiarem fuisse *Haselbachio* in fronte suorum Scriptorum, ad imitationem fortassis *Henrici de Hassia*, qui amabat praefigere: *Adsit principio Virgo Maria meo.* Ad calcem: *Finit hoc primum Volumen cum quarto Capitulo Isaie. Anno 1431. in festo leonis pape.* Cum Tabula amplissima subscripta: *Explicit tabula manu Thome de haslpach in vacationibus paschc completa Anno &c.* 1432.

Volumen II. incipit a *Cap.* 5. *Cantabo dilecto meo canticum* &c. finit cum *Cap.* 7. et pariter adjunctam habet Tabulam.

Volumen III. incipit a *Cap.* 8. *Et dixit dominus ad me, sume tibi* &c. et finit cum *Cap.* 13. *Anno dominice Nativitatis 1444. in Profesto Petronelle, quod fuit Vigilia Penthecostes*

Temporibus nostris quicunque placere laborat,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Accedit Tabula.

Volumen IV. incipit a *Cap.* 14. *Compleat inceptum* &c. 1449. *Mauricii. Prope est ut veniat tempus eius* &c. et finit cum eod. *Cap.* et 4. hiulcis Distichis, e quibus conficitur *Haselbachium* terminasse describendo hoc *Volumen* in Festo *Thomae Aquin.* a. 1455. dum simul Collegium Ducale regeret. Neque hic deest Tabula.

Volumen V. et ultimum incipit a *Cap.* 15. *Onus Moab. Quia vastata est* &c. et finit cum *Cap.* 16. cui accedit Tabula et haec Peroratio: *Finitus et completus hic quintus liber lecture M. Thome Ebendorfer de Haselpach Canonici Ecclesie S. Stephani et Plebani in Bertoldsdorf quem manu propria scripsit et tabulauit in fine Angarie Penthecostes Anno &c. 1460. Quando et ordinariam resignat lecturam. Amen. Feliciter. Canonicatus sui anno 33. Plebanatus*